

DE EPMOI SEU MERCURI

MYTHOLOGIA

COMMENTATIUS AD LITTERARUM ET ARTHR

ARCHÆOLOGICAN PARTINENS

DE MERCURII MYTHOLOGIA.

SCRIPPSIT JOSUA DAVID GUIGLIETTI

LUTE

Bibliothèque Maison de l'Orient



134092

DE ÉPMOÝ SEU MERCURII

MYTHOLOGIA

IN FRANCIA COLLEGIO ELABORATAM LATINAM

COMMENTATIO AD LITTERARUM ET ARTIUM

ARCHÆOLOGIAM PERTINENS.

PATRONI MONSIEUR DE TROUBÉ

SCRIPSIT JOS. DAN. GUIGNIAUT.

DYONISIUS IN SCOLA NORMALI

DOCTOR PHONOGRAMMIS PACORE DECIVIS

SING POST VIGINTI DVO ANNO

TARDE AC PLAEPOSTUR CANDIDATVS

VOLES VGOVE RYSCAYDE

LUTETIÆ PARISIORUM

EXCUDEBAT RIGNOUX,

VIA FRANCORUM - CIVIUM - SANCTI - MICHAELIS , 8.

1835.

DE EPMOY SEU MERCURI

METHODOGY

COMMEMORATIO AD LITTERARUM ET ARTIUM

ARCHÆOLOGIA PERTINENS

SCHOLÆ TQZ DVA CINCINNATI

LUTATIE PIRISIOM

EXQUISITATIBUS

ET HANC QVALEMCVNQVE OPELLAM

5681

DE EPMOY SEU MERCURI

J. L. BVRNOVF

REGIAE UNIVERSITATIS INSPECTORI

IN FRANCIAE COLLEGIO ELOQVENTIAE LATINAЕ

PROFESSORI

STVDIORVM MEORVM AB ADOLESCENTIA MEA

FAVTORI BENEVOLENTISSIMO

CARISSIMO

QVOD OLIM E SCHOLA NORMALI

DOCTOR PROMOVENDVS FACERE DECREVERAM

NVNC POST VIGINTI DVO ANNOS

TARDE AC PRAEPOSTERE CANDIDATVS

VOLENS VSQVE EXSEQVOR

ET HANC QVALEMCVNQVE OPELLAM

DICO ATQVE OFFERO.

DE ἘΡΜΟΥ SEU MERCURII

MYTHOLOGIA.

Τοῦτο γε ξόκις περὶ λόγου τι εἶναι δέ Ἐρμῆς, καὶ τὸ ἐρμηνέα εἶναι καὶ τὸ ἄγγελον καὶ τὸ χλωπικόν τε καὶ τὸ ἀπατῆλον ἐν λόγοις καὶ τὸ ἀγοραστικόν, περὶ λόγου δύναμίν ἔστι πᾶσα αὕτη ἡ πραγματεία (Plat. Cratyl., p. 54 Bekker).

Mercurius unus Cælo patre, Die matre natus, cuius obscenius excitata natura traditur, quod adspectu Proserpinæ commotus sit; alter Valentis et Coronidis filius, is qui sub terris habetur, idem Trophonius; tertius Jove tertio natus et Maia, ex quo et Penelopa Pana natum ferunt; quartus Nilo patre, quem Ægyptii nefas habent nominare; quintus quem colunt Pheneatæ, qui et Argum dicitur interemisse ob eamque causam Ægyptum profugisse atque Ægyptiis leges et litteras tradidisse. Hunc Ægyptii Thoth appellant, eodemque nomine anni primus mensis apud eos vocatur (Cic. de Nat. Deor. III, 22).

Et hos quinque, sive indigenas, sive alienigenas, theologorum apud Ciceronem Mercurios unum esse Platonis Ἐρμῆν, et in omnibus unam eandemque λόγου facultatem illam inesse, præsens, ut speramus, disputatio demonstrabit. Platoni nempe circa sermonem seu verbum, quod quidem mentem et cuncta quæ sunt mentis manifestet¹, præcipue ver-

¹ Plat. Cratyl. infra: τὸν τὸ λέγειν τε καὶ τὸν λόγον μηδέμενον..... δὲ λόγος τὸ πάν σημαῖνει..... ὁληθής τε καὶ φευδής. Confer. Creuzer. annot. ad Opusc. Mythol. in Meletem. I, p. 33.

sari Hermæ notio videbatur : ex qua scilicet dei deorum nuntii munera pleraque , commercium hominum, fraudes tum rebus gestis tum verborum artificio imprimis conceptæ, eloquentia denique pendeant. Et jam Hesiodus, multo ante Platonem, Mercurium inducit, Pandoram, postquam pectori ejus mendacia blandosque sermones et morum fallaciam indidit, sermone donantem ¹, tanto ut bonorum sic malorum instrumento.

Hanc tamen λόγου notionem, quæ in Indorum, Persarum, Aegyptiorum, Phœnicum quoque religionibus tanta ceperat incrementa ², non minus apud veteres Græcos (Pelasgos dicunt) esse elaboratam, Samothracum initia nos edocent, in quibus eminebat Mercurius ille quem primo loco ponit Cicero. Nimirum his in mysteriis, quæ Cabirorum nuncupantur, et Bœotiae quondam, Atticæ, Peloponnesoque communia fuere, Hermes seu Cadmus, proprio nomine ³, idem Cadmilus, Diis magnis, ut

Ἐν δὲ ἄρα οἱ στῆθεσσι διάκτορος ἀργειφόντες
Ψεύδεται θεοὶ αἰμαλίους τε λόγους καὶ ἐπίκλεπτον θεοὺς
Τεῦχε Διὸς βουλήσαι βαρυκτύπου· ἐν δὲ ἄρα φωνὴν
Θῆκε θεῶν κῆρυξ.....
Op. et D., v. 77-80.

¹ Confer. Antiquitat. Religion. s. Symbol. et Mythol. gall. vers., lib. I, cap. IV et V, t. I, p. 225 sq., 245, 292 et 293, not. ; lib. III, cap. IV, t. I, p. 444, not. 8; lib. IV, cap. II, *passim*, t. II, præsertim in excursib. t. I, p. 851 sqq., 869 sq.

² Pelasgius est nomen. Κάδμος ὁ Ἐρυητῆς παρὰ τοῖς Τυρηνοῖς (Tyrhenis Pelasgi), Etymol. Gudian., p. 290, correct. ab O. Müller. in Orchomen., p. 461, n. 1. Κάδμιος ὁ Ἐρυητῆς Βοιωτικῶς (quod idem est), Tzetz. in Lycophron., v. 162, coll. 219.

loquitur Varro ⁴, Cœlo et Terræ, juxta alios Soli et Lunæ cosmogonicō sensu ministrabat, mundum ab origine recta ratione (λόγῳ) formatum, eadem quotannis recreatum exhibens, inter utrosque medius ². Ea enim sententia erat fabulæ hieraticæ quam in Samothraces sacris explicari dicit Herodotus ³, et ad quam Cicero alludit, quum Mercurium adspectu Proserpinæ commotum esse refert, scilicet *Ithyphallum*, ut eum a Pelasgis primi Græcorum effingere Athenienses didicerunt. Mercurius ille igitur vere cœlestis, quanquam obscena satis figura, qui et mentem effectricem procreando mundo interfuisse, et mundum hunc rationis seminalis legibus, si rite interpretantur Platonici ⁴, perpetuo contineri significet.

Alia nunc specie nobis appetit Hermes, pelasgius semper, semper mentem generatricem, quæ mundum et vivere faciat et informet, vocemque fecundam et opitulantem repræsentans. Is est Mercurius, qui sub terris habetur, unde oracula petentibus profert, idem recte a Cicerone cum Tropho-

¹ De lingua lat. IV, 10.

² Confer. Antiq. Relig., lib. V, sect. I, cap. II, art. III, t. II, p. 288-301.

³ II, 51, *ibi* Bæhr.

⁴ Plotinus, Porphyrius, alii apud Creuz. ad Cic. de N. D. III, 22, p. 604 sq., coll. Antiq. Relig. t. II, p. 297 sq. (λόγος ὁ πάντων ποιητὴς καὶ ἐργαζετευτικός..... ἀπερμητικός λόγος ὁ διάκτον πάντων.... λόγος ὁ διά πάντων πεφυκός).

nio compositus, heroë illo Bœotorum altoe et fatidico. Hermes enim inferus sive *Chthonius*, et apud Atticos *Erichthonius* dictus, modo deus, modo heros, agrorum colendorum auctor habebatur et præses¹. Quum autem dii inferi et ipsi conferre opes putentur, quarum quidem fons cum eis imatellure condatur iisdemque operantibus nunquam deficiat, inde evadit Hermes lucrificus (*κερδῶς*), ut pote qui lucrum faciat hominibus; inde agriculturae inventio, divitiarum originis, adeum delata est. Quemadmodum enim ex Proserpina vel Daïra Cadmilus ille seu Ithyphallus Hermes, secundum nonnullos, Eleusinem heroem suscepit², id est Bonum Eventum et tanquam frugum proventum, ita Jasion cum Mercurio infero Trophonioque plane unus et idem, ex Cerere Plutum genuisse dicitur³. Quod si nunc raptam a Plutone in agro Eleusino Proserpinam reputemus, et Mercurium animarum ducem (*Psychopompum* Græci vocant), de quo infra, eadem prorsus esse agraria et infera numina persuasum habebimus, mentemque corpus magnum ubique agitatem, celo-

¹ Etymol. M., p. 371, Sylb.: οὐτως ἐριούνιος Ἐρμῆς καὶ χθόνιος καὶ ἡργάθονιος Ἐρμῆς, coll. Etymol. Gud., p. 208, 31. Cf. Creuzer ad Cic. de N. D., p. 607 sq.; et Antiq. Relig., t. II, p. 327 sqq.

² Pausan. I, Attic., 38. Ἐλευσίς ab ἐλεύθῳ, *venio*.

³ Hesiod. Theogon., v. 959 sqq. Cf. Creuzer. Meletein. I, p. 53; et Antiq. Relig. l. c.

que et in hac terra neconon apud inferos præsentem, certissime deprehendemus.

Ecce novo, ut videtur, adspectu prodeuntem Arcadum Mercurium, Ciceroni tertium illum, in monte Cyllene, Jove et Atlantide Maia, Pleiadum una, procreatum, qui quidem ex Penelope Pana filium habuit. Quamobrem et pecudibus et pascuis præerat, unde merito Νόμος dicebatur, *Cyllenius* quoque¹. Præterea cum nympha quadam *Polymele* amore conjunctus, *Eudorum* ex ea suscepisse traditur². Nam vero illum Penelopa potiri nequivisse ferunt, nisi prius ad magicas artes et in capri formam se convertisset³. Hermes igitur, his in Arcadum fabulis, cum Pane, nato suo, fere totus coalescebat. Quis autem caprinum deum unum eundemque esse ac Pelasgorum Ithyphallum non perspiciat, e cuius vi vegetante et fecundante

¹ Κυλλήνος a Κυλλήνη. De hoc epitheto Eustath. ad Iliad. II, 603, XV, 618; Odyss. XXIV, 1, coll. Spohn de extrema Odyss. parte, p. 38 sq.; Apollodor. III, 10, 2; Pausan. VIII, Arcad., 17.—De Νόμῳ, Homer. Hymn. in Mercur., *passim*; Hesiod. Theogon. 444, ibi Schol.; Apollodor. *ibid.*; Cornutus de N. D. 16, p. 165 Gal. Cæterum Bœotii pastores Bœotiae sue Mercurii natalia vindicabant, quem genitum esse fabularentur in monte Cerycio (Κέρυξ) apud Tanagram, qua in urbe Hermes duo templa habebat, alterum κριοφόρου, arietem gerentis, alterum προμάχου (Pausan. IX, Bœot., 20 et 22).

² Homer. Iliad. XVI, 179 sqq. Πολυμῆλη, quæ multas oves habet; Εὔδωρος, dives, munificus, cum Pluto comparandus. Cf. et Iliad. XIV, 490 sqq.

³ Lucian. Dial. Deor. XXII, t. II, p. 76 Bip., ibi Hemsterh., p. 319. Patet hanc Penelopen non eam esse omnino quæ Ulyxi nupta fuit, qualem nempe finxerunt ἐπωνοί.

vita omnis, tum naturæ, tum animantium, imo et animorum exoriatur? Scilicet quam cum Proserpina modo Cadmilus Samothracius, hanc Cyllenus *Phales*¹ nunc maxime cum Penelopa rem gerit. Quum vero Virgilius, libro Georgicon tertio², Pana quondam canit, deum Arcadiæ, munere niveo lanæ captam fefellisse lunam, in nemora alta vocatam (nempe candidum in arietem mutatum eam plexisse), mythus est idem planiore etiam et quasi pellucida significatione³.

Igitur et rebus gestis et habitu et fabularum commentis, quatenus fieri potest, ad verum sensum revocatis, hi omnes diversarum Græciæ partium Mercurii in unum quodammodo conspirare videntur Pelasgorum Hermen vel Cadmilum, et hunc cum *Thoth* Ægyptiorum Phœnicumve illo mirifice concinentem. Cujus quidem concentus consensusque et naturæ cognationis conscos fuisse Pheneatas Areadas in aperto est, quippe qui patrum Mercurium (quintum vult Cicero), Argi interfectorum, ob eam causam in Ægyptum profugisse perhiberent atque Ægyptiis leges et litteras tradidisse⁴. In quo

¹ Φάλης, idem quod φαλλός. Θύεντες Κυλλήνοι Φάλητι, Lucian. Jov. Traged., t. VI, p. 275 Bip., coll. Pausan. VI, 26, e quo manifestum Cyllenae Elidis ab Arcadica Cyllene propagatam iisdemque obstrictam fuisse Mercurii religionibus.

² V. 391 sq., ibi Heyn., t. I, p. 513.

³ Ejusdem generis fuit ἱερὸς ille λόγος de Mercurio et ariete, in Matris τελετῇ traditus, quem sciens tacet Pausan. II, Corinth., 3.

⁴ Cf. Antiq. Relig. excurs. X ad lib. III, t. I, p. 856, 863, 865,

opere mens eminet Mercurii, λόγος videlicet, ut initio diximus, dum Pan corpus ejus, seu virilem corporis effectum, et vere φύσιν exhibit. Illam autem Mercurii mentem ratamque rationem refert, non solum qui Bœotiæ Pelasgis litteras et ipse detulisse memoratur Cadmus, sed etiam Arcas Evander, a quo simile quiddam Latii Aborigenes acceperunt, qui que, Cadmus alter, Hermes est personatus².

Nunc vero quascunque mutationes subierit Mercurius ut apud Olympum et inter deos istos Epicorum poetarum speciosos sedem sibi faceret, in eo tamen et naturæ, animantium imprimis, et mentis, sagacioris illius quidem et inventricis³, auctorem deum reperiemus. Hymnus enim homericus, qui fertur, ad Mercurium, quo nullum aliud deo insignius exstat documentum, hunc ab ortu mirifica puerum indole depingit, astutiarum artificem,

ubi quintus ille Hermes, Thoth secundus, ex sincera Ægyptiorum doctrina illustratur, nec non et quartus, qui quidem Thoth primus est, seu Hermes Τριουμέγιστος vel Εἰκτόν, δὲ λόγος κατ' ἔξοχον. Neuter vero primitus ad Graecos pertinet.

² Cf. de Evandro et Carmenta cum Mercurio et Maia collatis, quæ præclare a Creuzero nostro disputantur in Antiq. Relig., lib. V, sect. II, cap. III, t. I, p. 444, 445.

³ Hermes Maiae est filius, ait Eustathius ad Odyss. XIV, 435, διὰ τὸ ἐν ζώνις θρηπτικόν, et διὰ τὸ τοῦ λόγου ζητητικόν. Et Proclus in Plat. Alcibiad. I (t. III, p. 29 sq. Cousin), dum ad Hermen scientiam hinc, inde inventionem refert, ita concludit: ἐκ δὲ τῆς Μαίας προιῶν, παρ' ἣ κρυφίως ἡ ζήτησις τὴν εὑρεσιν δωρεῖται τοῖς ἑαυτοῦ τροφίμοις.

nebant¹. Et quum, hortantibus diis cæteris, ad Heetoris extinti cadaver ex Achillis tabernaculo furto surripiendum promptus esset, mittitur ab Jove Priamum ad Achivorum naves clanculum deducturus². Tum pulchra talaria pedibus subnectit, ambrosia, aurea, quæ ipsum ferebant et supra mare et supra immensam terram, simul cum rapido yentorum flatu. Tum virgam capit qua virorum oculos demulcet quorum vult, alios vero somno consopitos excitat³. Sieque instructus Priamo occurrit, juveni regio similis, primum pubescenti, ejus in ore sedeat venustissimæ juventæ lepos.

Scilicet hac specie prodiit demum Hermes, postquam eum, priscis pelasgorum mysteriorum exutum involucris, novo et nitido illo fabularum poeticarum ornatu Achivorum Ionumque induerunt vates. Fit tum deorum, Jovis imprimis, famulus atque nuntius⁴, et magis ac magis præconum

¹ Iliad. V, 385. Cf. Antiq. Relig., lib. VI, cap. IV, t. II, p. 646.

² Iliad. XXIV, 23, 325 sqq.

³ Cf. Odyss. V, 43 sqq.; XXIV, 1 sqq.; X, 277 sqq., etc., nec non, qua sequentibus præludendum est, pulcherrimam Virgilii imitationem, Aeneid. IV, 238 sqq.:

Tum virgam capit: hac animas ille evocat Oreo

Pallentes; alias sub Tartara tristia mittit;

Dat somnos adimitque, et lumina morte resignat.

Illa fretus agit ventos, et turbida tranat

Nubila.

⁴ In Odyssæa demum has partes agit Mercurius; nam in Iliade, si librum extremum exceperis, Iris tantum, celestis arcus, deorum est nuntia. Censem quidem Buttmannus (Lexilog. I, p. 217 sqq.)

(χηρόκον) similitudinem effingit, qui tam diversa apud heroas ministeria exsequebantur¹. Atenim vel in hoc famulatu et sub hac tanta formæ conversione latet adhuc numinis antiqui ingenita vis et ratio, latent notiones eximiæ, cognominibus quibusdam aut muneribus recentis dei solennibus adhærentes. Quod nimurum Mercurii Græcanici constans est ἐπίθετον, minister aut nuntius (διάκτορος), hoc fere semper comitatur Argicidæ illud (Ἀργειφόντης)², quo, si quid videmus, prisci dei cum luna et cœlo stellifero commercium indicatur. Quippe nihil esse aliud et Jo juvencam et pastorem Argum, sexcentis oculis inhiantem ei, jure meritoque dixeris. Hermes autem, dum, Jovis imperio, puellam adamatam patri liberare aggreditur, hoc tantum agit, Argum interficiendo, ut proprium munus peragat, nempe ut diei noctisque, vitæque et mortis obeat vices³.

διάκτορος epitheton, Mercurio jam apud Iliadem (II, 103; XXI, 497, ibi Heyn. observ., t. IV, p. 212 sq.), multo tamen frequentius apud Odysseum impositum, notionem in se habere deorum præconis, vel præconis (χήρυκος) κατ' ἔξοχην, quod scilicet, ad διάκτορα redditum, minime ex διάγω, sed ex διάκω, διάκω, διάκω, quemadmodum et διάκονος, derivetur, cursoremque ab origine et nuntium famulunque significet. Cf. Æschyl. Prometh., v. 943 sq., 956, 971 Wellauer.

¹ Cf. Odyss. XV, 319 sqq.; Hymn. in Mercur., v. 108 sqq.; Sappho ap. Athen. V, p. 192 Casaub.

² Iliad. L L., coll. XVI, 182; Odyss. I, 38, et passim; Hymn. in Mercur., v. 73, ibi Ilgen, etc.

³ Hanc interpretationem apud Euripidem (Phœn., v. 1123) et Maerobium (Saturn. I, 19) inchoatam, Heynio autem (ubi supra) satis probatam, illustravit Welckerus in Æschylea Trilogia, p. 129 sqq.

Cæterum divinus præco mundi spatia cursu indefesso lustrans, cœli et terræ, superorum atque inferūm commeator exsistit perpetuus¹. Quare et hominibus et diis præsertim nascentibus adest, vita functionum animas ad Orcum deducere paratus idem². Unde et aliquando reducit eas³, ut Somnum et Somnia, Noctis sobolem⁴. Hinc diversa illi cognomina indita⁵, et cum Parcis diisque inferis familiaritas quædam, necnon, de quo supra mentio facta est, aliquid divinatorii inest muneris⁶.

Hermes autem, in mythis certe popularibus, hoc præcipue eminet, quod famulante ejus et quasi intermedia opera commeatus omnino procurantur rerumque et locorum conversiones mutationesve, hominum necessitudines et commercia inter se jun-

¹ Superis deorum Gratus et imis, ut canit Horat., Carm. I, 10, fin.

² Quas et in Odyssea primum, ultimo libro, partes accipit. Cf. Sophocl. Ajac. 832, Euripid. Med. 754 (*πομπαῖς, χθόνιος*); Horat., Carm. I, 10, 17.

³ Hygin. fab. CIII, CCLI, *ibi* interpret.; Virgil. *supra* laud.

⁴ Odyss. VII, 138, *ibi* Schol. Palat.; Hesiod. Theog. 212, 758.

⁵ Ψυχοπομπός, ψυχαγωγός, νεκροπομπός, ὄντερθότης. Cf. Eustath. ad Odyss. VIII, 278, p. 311 Basil.

⁶ Eundem fuisse primitus Mercurium χθόνιον, ἐρισύνιον sive πλευτὴν, ψυχοπομπόν, etc., ac Plutonem seu Haden (Πλεύτων, dives, Αἴδης vel Λίτη, qui non videtur) probabiliter opinatur Schwenckius in Etymol. germanice scriptis, p. 123 sqq. Nempe in Gigantomachia, apud Apollodor. I, 6, 2, Mercurius adhuc Αἴδης κυνέν γειτ, dum hic apud Pindarum (Olymp. IX, 50 sqq., coll. Odyss. XXIV, 5) Mercurii πάρεδφος instructus est, qua mortalia corpora ad Orcum compellit.

guntur, negotia administrantur, cuncta denique parantur quibus vita humana augetur et viget. Qui quidem viam monstrat euntibus, horum dux et comes¹, necnon januis ædium adsistit custos, quas aut claudit, re postulante, aut aperit, cardinibus versis². Idem foro præest, in quo de negotiis tum publicis tum privatis voce disceptatur, in quo emendi vendendique fit mercatura, et vis eloquendi vincit. Quin mercaturæ Mercurius proprius deus est lucrative quod inde reddit³. Sed et gymnasiorum deus ac palæstræ, in qua corporis exercentur vires, lacertorum pedumque excellit agilitas⁴. Mens nimis et corpus in Mercurii numine mire coalescunt, quorum utriusque habilitas ex eo pendet. Quapropter stadium Olympiæ ingredientibus simulacrum ejus videbatur, ipseque ludorum ibi commissorum habebatur præses⁵, imo eorum auctor et inventor a quibusdam fertur⁶. Cujus honoris vulgo cum Hercule est particeps: ambo enim cognatione aliqua et multiplici affinitate inter se continentur.

¹ Ἐνόδιος, ὑγειόνιος, ἀγάπωρ. Aristoph. Plut. 1160, *ibi* interpret.; Pausan. VIII, 31.

² Προσπύλαιος, στροφαῖς, α στροφαῖς, *cardines* (supra *alio sensu*). Aristoph. *ibid.*, v. 1154 sqq., ut et de sequentibus epithetis.

³ Λιγορῖος, ἐμπολαῖος, κερδῶνς.

⁴ Ἐναγώνιος. Cf. Eustath. in Odyss. VIII, 266, p. 309 Basil.

⁵ Pausan. V, Eliac. I, 14. Mytilus, Oenomai auriga, Mercurii filius vulgo habetur.

⁶ Oppian. Cyneget. II, 27. Cf. Spanheim et Bergler ad Aristoph. Plut. 1162.

Hermes itaque, musices initio deus, quoniam et cavam testudinem et calamos agrestes invenit¹, gymnasticæ postea, cuius apud Græcos tantum in liberis instituendis momentum erat, mox et rhetoricae, cuidam veluti ingeniorum palæstræ præfuit. Nam et eloquentiæ munus λογίω illi deo, λόγου ipsius numini, naturaliter adhæsit, et quotunque sunt alia specimina mentis aut instrumenta, disciplinæ artesque omnes, sermo imprimis et litteræ, Mercurio inventori post tempus tributa fuere². Ministrator autem deorum cœlestiumque epulorum pincerna, cærimonias religionesque in deos et sacra primus instituisse perhibetur³. Quare patet sicut et caduceum manu tenet⁴. Simul apud Atticos Cerycum proavus habitus est, sacræ gentis, qua oriundi in festis Eleusiniis præconum sacrificiorumque officia præstabant, ita ut qui *Hieroceryæ* dictus Mercurij partes impleret⁵.

In Arcadia, deinde in Attica aliisque regionibus,

¹ Hymn. in Mercur., v. 512, coll. Apollodor. III, 10, 2.

² Diodor. Sic. V, 75, *ibi* interpret. Cf. Fabricii Biblioth. Gr. ed. Harles., I, p. 89-94.

³ Diodor. *ibid.*; Euseb. Præpar. Evang. II, 1, coll. Hymn. in Mercur., v. 115 sqq.

⁴ Σπανδεῖον, κηρύκειον, *caduceus*. Κήρυκες, ab origine, inter alia, sacrificiorum apparatores fuere.

⁵ Cf. Antiq. Relig., lib. VIII, sect. II, cap. I, t. III.

antiquissima Mercurii simulacra columnæ quadratae fuere, ligneæ primum, post lapideæ, capite barbato et phallo insignitæ¹. Hæ quidem columnæ, quibus *Hermarum* nomen permansit, etiam quum ad alia numina translatæ essent, ubicunque multiplicem deum præsentem sibi fingebant veteres, in agris et viis, in compitis gymnasiiisque visebantur². Quibus initio rudibus, mox edolatis, paulatim successit humana effigies, magis ac magis ad dignitatem divinam informata, ita ut priscus ille Pelasgorum Hermes, qualem adornaverant primi poetæ, talis et primis statuariis obversaretur, vir nempe robustus et lacertosus, barba cuneata, promissis comptisque capillis, chlamyde ut plurimum succincta, petasatus, pedibus alatis, et caduceatus. Hac sub specie in multis veteris, qui dicitur, styli monumentis cœlestem nuntium adspicere est³. Quod ad caduceum attinet, nil nisi oleæ ramum ab initio

¹ Τετράγωνος ἐργασία, ἄκολοι Ἐρμοὶ, aliquando etiam pileati et palliati. Vid. Pausan. I, 24; IV, 33; VII, 22, 27; VIII, 31, 39, 48; X, 12; col. Thucyd. VI, 27; Aristoph. Lysistr. 1093, *ibi* interpret. Cf. O. Müller, Archæol., p. 44.

² In memoriam redent Athenarum Hermæ, quibus sententias quæ populo proficerent insculpi jussit Hipparchus, Pisistrati filius. Isti quoque Hermæ viarum, in compitis et alibi, indices erant, unde sæpe τρικέφαλοι et τετρακέφαλοι. Cf. Plat. Hipparch., p. 238 Bekker; Philochor. fragm., p. 45 Siebelis; Eustath. ad Iliad. XXIV, 333; Hesych. s. v. Ἐρμ.

³ Cf. Antiq. Relig., t. IV, tab. LXVI, l.; CVI, 413, 414; coll. tab. CVII, 415, cum explicat.

cogites infulis circumdatum, quorum in locum postea cesserunt angues implexi¹.

Vidimus jam apud Homerum Mercurium in juvenem mutatum, primum pubescentem et multo aetatis lepore florentem. Quae quidem forma ad imagines fictas pietasve tarde nonnisi propagata est, nempe ut ephesus arte fieret, eximia pulchritudine et viribus simul excellens, quales e palæstra evadabant, qualemque Mercurium nunc quoque agnoscas præsidem gymnasiorum imberbem, ore non sine venustate virili, corpore cum mollitie quadam lacertoso, capillis brevibus et crispis, aliquando etiam petaso obumbratis, chlamyde post tergum rejecta vel festive circa humeros constricta. Talis inter cæteras appareat, palmæ stipiti innixa, victoriæ argumento, quæ diu Antinoi habita est insignis statua². Hermes autem eloquitur princeps, oratoris tantum actione ab hoc distinguitur³; musices deus, testudinem prope habet, quam in eitharam adornavit primus⁴. At vero deorum nuntium, ut poetæ, ita artifices clarioribus indicis

¹ Ita, post Boëtigerum in Amalthea, I, p. 104, Odofr. Müller. Et tamen nil, ut videtur, in principio, ab virga illa, unde χρυσόφ-ραντις Hermes, differre potest caduceus. Angues autem vel serpentes ad Chthonium et Trophonium Hermen pertinuisse primitus, satis est probabile. Cf. Schol. ad Aristoph. Nub. 504.

² Antiq. Relig., t. IV, tab. CVII, 416, coll. CVI, 417.

³ Antiq. Relig., t. IV, tab. CXLVIII, 418.

⁴ Ibid. tab. ead., coll. LXVIII, 252, f., et imprimis Mus. Neapol. I, 54.

effingere contenderunt: cuius et statura procera magis, et non solum tali, sed et caput et petasus, caduceus interdum, alis sunt instructa; ipse autem vadit usque aut agit aliquid, stat fere semper, aut, quum quiescit, etiam abiturus videtur¹. Mercaturæ vero et fallaciæ auctor, veteratorque deus, sape in similitudinem pueri convertitur, digitum callide in ore ponentis, dum sinistra crumenam tenet². Cæterum Mercurii vultus sollertia mentis denotat, morum comitate temperatam, intentionem cogitandi leviter inclinatum caput, totaque dei in specie corporis præstantia et ingenii dexteritas mirum in modum concinunt.

Hermes, in artium operibus, arietem quandoque comitem habet, pecudum quippe custos, vel ut sacrificius, quo in munere, ut supra diximus, et pateram gerit³. Frequenter vero in sepulcris videatur, tanquam dux animarum, sive ψυχοπομπός⁴. Quanquam et linquentibus vitam et auspicantibus adsistit, seu cum Bacchum ex femore Jovis excipit, Herculem ex Alemenæ utero, seu cum Achillis et Memnonis animas æquata lance pensitat⁵. Persæpe

¹ Ibid. tab. CVII, 419, coll. CXLVIII, 418.

² Ibid. tab. CVI, 420, coll. CXCV, 690; CVII, 423, 424. Crumenæ, per se satis recens, recentiori opera in monumentis artis sæpissime superaddita est.

³ Ibid. tabl. CVI, 422, coll. 422 a.

⁴ Ibid. tab. CIII, 421; CLVII, CLVIII, 602, 603; CCXXVIII, 778; et in gemma pulcherrima, CVII, 421 a.

⁵ Ibid. tab. CX, 432; CLXXV, 653; CCXXXVI, 812.

autem fictum pictumve Mercurium deos et homines more suo deducentem, aut amoribus eorum festivam operam ministrantem adspicias¹.

Quo quidem in loco fieri nequit quin menti nobis obversetur, non modo festivus, sed et procax Hermes ille apud Homerum, Martis et Veneris adulterio seu connubio potius symbolico præsens². Non est tamen cur ibi post Creuzerum moremur, qui mythi illius sensum reconditum, Samothracum religionibus erutum, tam feliciter enodavit³. Ipse Hermes voti compos fuit; hujus enim ex congressu cum Venere (*Græcis Aphrodite*) duplex natus est *Hermaphroditus*, in quo sexus utriusque, virilis ac muliebris, notas, dignitatem et venustatem apte adeo copulaverunt artifices⁴. Poetæ rursus Mercurio et Veneris filio fabulam finxere satis lepidam, apud Ovidium legendam⁵, qua veteris figmenti rationes et causas, dudum exoletas, pro suo libitu exegitavere, non ad Phallum attendentes neque ad sacra pelasgica, quibus haec haud dubie continebantur. Cum Mercurio præterea coëunt, sed diverso prorsus coitu, in columnis illis quadratis quæ signorum habuit antiquissima, dii complures deæque,

¹ Ex. c. tab. CXVI, 679; CLXXIV, 651, etc., ejusd. oper.

² Odyss. VIII, 266 sqq.

³ Cf. Antiq. Relig., lib. V, sect. I, cap. II, t. II, p. 299 sq.; et t. IV, pl. XCV, 380.

⁴ Ibid. tab. CVI, 425, 426, cum explicat.

⁵ Metam. IV, 285 sqq., ibi Gierig.

ei, propter communionem aliquam seu notionis seu muneris, temporis decursu consociati. Inde vero capita illa geminata orta sunt; quibus et geminata nomina, Hermerakles, Hermathene, Hermeros, Hermares, Hermopan, Hermanubis, cætera, quæque in gymnasiis (de tribus prioribus certum¹) vulgo visebantur.

Quod ad Romanorum *Mercurium* attinet, nomen ejus a *mercibus* plerumque trahitur², et ipse revera tanquam mercaturæ deus Romæ præsertim colebatur. Præcipuum habebat templum non longe a Circo Maximo. Festo autem die illius, qui idibus maiis erat, sacrificia ante portam Capenam factabant mercatores, ut deum sibi propitiarent, et aqua vicina, Mercurio sacra, præteriti perjuria temporis abluebant, nova parantes³. Horatii bene notum hymnum, quo vivide perstringuntur quæcunque de Herme suo fabularentur Græci, supra a nobis explicata, re quanquam dubia, huic festo compositum fuisse volunt. Nomen ipsum *Maii* mensis a *Maia*, Romanis matre aut nutrice tellure⁴, Mer-

¹ Nempe gymnasiis cum Mercurio præerant Hercules, Minerva et Cupido.

² Festus s. v. — Servius (ad Virgil. Æneid. VIII, 138) aliisque a *medius currere* deducunt, sensu quidem multiplici. Cf. Isidor. Orig. VIII, 11.

³ Ovid. Fast. V, 663 sqq.

⁴ Macrob. Saturnal. I, 12. Cf. Antiq. Relig., lib. V, sect. II, cap. V, t. II, p. 504.

eurii autem genitricē, derivatum, deum hunc, ut apud Græcos, ita apud incolas Latii veteres, ad agrorum cultum initio spectasse monstrat. Quæ quidem res eo confirmatur quod Tuscorum Hermes *Turms* appellabatur, nomine *Termino* consonante, cuius in tutela dei, lapidi vel stipiti similis, agrorum fines esse putabant¹. Si vero hinc ad terminantem deum et priscam Hermarum attenderis figuram, inde ad nomina *Hermes*, *Turms*, *Terminus* cum vocabulo illo, quod græce et ἕρμη sonat et columnam dicit, fere convenientia, erit sane aliquid quod mireris. Et latinus fortasse *Mercurius*, si rationem nominis, ut loquuntur, generaliorem consideres², non discrepantem habebit sensum. Sed et forsan, quæ Mercurio subest, notio ipsa, tam varias in partes distracta, has et rerum et verborum consonantias effecit³.

¹ Dionys. Halic. Antiq. Rom. II, 9. Cf. Antiq. Relig., t. II, p. 486 et 495.

² Radicem, quæ dicitur, indo-germanicam *Merkon*, unde *Mark* limes, finis, et gallicum *marguer*. Cf. Baur, Symbol. et Mythol. II, 1, p. 146.

³ *Hermæ* nomen, sicut ipsam illam dei notionem, ad sermonem seu verbum commodissime retulerimus, quod quidem, ut supra diximus, mentem cunctaque cum ea manifestat, quodque, vinculum rerum omnium et quasi medium, quidquid aut indicat aut distinguit, conjungit sejungitve, continetque et sustinet, usquequaque declarat. Qua propter ab ἔρω, εἴρω, unde Ἐρυν, Ἐρωτα, ut a sero sermo, deducendum videtur. Patet enim notiones sermonis, vinculi, limitis aut termini (simul et indicis et columninis), vocabulis ipsis velut in unum coalescere. *Mercurius* vero, index quippe et mercator

Quod si Romanis rerum scriptoribus fides habenda, Mercurii nomen olim et apud Germanos et apud Gallos insigni in honore fuisse credibile est. Hi quidem, auctore Julio Cæsare¹, in eo omnium inventorem artium, viarum atque itinerum ducem colebant, eumque ad quæstum pecuniæ mercatusque habere vim maximam arbitrabantur. Germanos autem Cornelius Tacitus² refert humanis hostiis Mercurio suo litare consueisse, quemadmodum et Gallos Teutati illi compertum est, qui et Martis et Herculis, Mercurii etiam locum apud eos tenebat. Scilicet Teutaten eundem esse volunt qui *Theuth* vel *Taaaut* Phœnicibus fuit, eumque ab his, nec non Ogmium illum, belli simul et eloquentiæ deum, e cuius ore exeuntibus auri electrique catenæ vere pendebant homines devineti, in Europæ nostræ partes ad Occidentem vergentes esse importatum³. Nos vero, quæstione hac paulum implicata nunc quidem omissa, satis habebimus iterasse verbo quod alibi monuimus, nempe apud ipsos Romanos Herculi et Mercurio multum inter se et cum Marte, alio deo, necessitudinis interfuisse⁴.

et cursor, non aliam seu nominis seu officii multiplicis rationem habet. Cf. Lennep. et Scheid. Etymol. ling. gr., p. 221, coll. 196.

¹ De bello Gallico VI, 17.

² De Morib. Germanor. IX, coll. Lucan. Pharsal. I, 444; Lactant. Inst. I, 21.

³ Amad. Thierry Gallor. Histor., t. II, p. 78; Michelet, Franciæ Histor., t. I, p. 41 sq.

⁴ Cf. Antiq. Relig., lib. IV, cap. complem., t. II, p. 238.

Ut autem Romani per Herculem, ita per Mercurium, a quo oriundos se jactabant, Thracum jurabant reges¹, huncque usum servavere Athenienses², in quo, nusquam augustior, vocis sermonisque, sanctissimi societatis humanæ vinculi, deus eminet.

¹ Herodot. V. 7.

² Spanheim ad Aristoph. Nub. 1239, al. 1223.

FINIS.